GRANT (N.)

Disputatio medica inauguralis
de Ischuria. 1824.

Fishing

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ISCHURIA.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

ISCHURIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

NATHANIEL GRANT,

Scoto-Britannus,

CHIRURGUS,

SOC. REG. MED. EDINENSIS SOCIUS.

Nisi utile est quod facias, stulta est gloria.——PHÆD.

Die VIII. ante Kal. Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO, APUD D. SCHAW ET FILIUM.

MDCCCXIV.

JUVENTUTIS PRECEPTORI,

JACOBO GREGORY, M. D.

MED. PRACT. IN ACAD. EDIN. PROF.

NON MINUS

ARTIUM INGENUARUM

QUAM

SCIENTIÆ AC IMPRIMIS MEDICINÆ PERITO,

HAS CALAMI JUVENILIS PRIMITIAS,

TANTUM ATTENTIONE DIGNAS

QUOD NOMINE TAM HONORATO ORNANTUR,

ANIMO GRATISSIMO

OFFERRE AUDET

Nathaniel Grant.

VIRO REVERENDO,

ARCHIBALDO ALISON, LL. B.

PRÆBENDARIO SARI,

RECTORI APUD *RODINGTON*,

SACERDOTI VICARIO APUD *HIGH ERCALL*,

NECNON

PASTORI SENIORI SACELLI EPISCOPALIS

SANCTI ANDREÆ EDINENSIS;

PIETATE ET LITERIS HUMANIORIBUS,

NON MINUS QUAM

MORUM URBANITATE

INSIGNI;

HANC DISPUTATIONEM,

ÆQUE INGENII ADMIRATIONE

AC

VIRTUTUM AMORE PERCULSUS,

CONSECRAT

Auctor.

HENRICO JOHNSTONE,

ARMIGERO,

COLL. REG. CHIRURG. EDIN. SOC.

EDINBURGI,

ARTEM MEDICAM FELICITER EXERCENTI;

QUI,

CONSILIIS AD MEDICINAM

RECTE DISCENDAM,

QUAMPLURIMUM EI OPITULABATUR,

HASCE PAGINAS,

QUALESCUNQUE SINT,

SUMMA CUM REVERENTIA

D. D. C.QUE

Auctor.

——— *In publica commodo peccem*
Si longo sermone morer.

Hor. Epist. 1. Lib. 2.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ISCHURIA.

" La retention d'urine dans la vessie," ait Desault*, " est cette maladie dans laquelle, les " urines ne peuvent être expulsées de la vessie " qu'elles remplissent."

Quidam auctores Ischuriam a dysuria stranguriaque distinxerunt, quas, morbos inter se dis-

* Journal de Chirurgie, par Desault.

tinctos, repræsentant. Alii, contra eos tantum diversas species retentionis urinæ considerârunt.

Ubi morbus ab iisdem causis, quibus Ischuria sed vi diversis originem ducit, et urina ægrè et cum dolore redditur. Mali genus dysuria vocatur.

Ubi molesta, fere perpetua, et inexplebilis mingendi cupiditas urget, quamvis paucæ tantum guttulæ excernantur, plerumque non sine dolore aliquo malum stranguria vocatur.

Et ubi urina supprimitur, cum insigni ægrotantis incommodo, et sane instante periculo, nisi brevi restituta fuerit, nomen Ischuria datur.

Desault putat has signorum differentias non nisi diversos gradus ejusdem morbi esse, et divisionem in retentionem perfectam et imperfectam anteponit.

Distinctio interdum inter suppressionem et retentionem urinæ facta, summi est momenti quod ad mali naturam et curationem. Prior, aptissime urinam minus in renibus secretam monstrat; posterior, impotentiam urinæ jam secretæ ejiciendæ.

" Malum hoc, cui nomen Ischuria datur, bi-
" fariam alii, alii quadrifariam distinguere so-
" lent. Parum refert quot morbi species nu-
" meraverint, dummodo bene perspectam ha-
" beant. Multiplex malum, a variis renum, ure-
" terum, vesicæ, urethræ, partiumque vicinarum,
" aut conspirantium vitiis originem ducit*."

CULLENUS ponit Ischuriam inter locales, et definit " urinæ suppressio absoluta."

Dividit in quatuor species; nempe,

1mo, Ischuriam Renalem.
2do, ——— Uretericam.
3tio, ——— Vesicalem.
4to, ——— Urethralem.

Tertiam speciem, Ischuriam Vesicalem, quem argumentum hujus disputationis esse statuo, definit:

" Ischuria Vesicalis, cum tumore hypogastrii,
" dolore ad cervicem vesicæ, et frequenti ad
" mingendum stimulo."

---

* Conspectus Med. Theor. a GREGORIO.

Imprimis historiam morbi generalem dare studebo, inde causas morbi, cum indiciis singulis propriis, et rationem medendi, monstrabo.

HISTORIA MORBI.

Quum evacuatio urinæ a vesica, quavis causa prevenitur, hoc organum, interdum miro in modo distenditur; tumorem in regione hypogastrica, circumscriptum, sine mutatione coloris cutis, sine duritie insolita, molestum si valde premitur, formans, et cupido urinæ reddendæ augetur.

Hic tumor plerumque dolore acuto in regione hypogastrica, per urethram ad glandem penis, nec multo postea ad regionem renum tendente, stipatur, desiderio mingendi assiduo, et urina minima quantitate, et cum dolore, redditur. (Id non semper accidit. Doctor Home exemplum Ischuriæ Vesicalis commemorat, ubi quantitas urinæ reddita, amplior quam solita erat, viz. in quantitate quatuor librarum in die.)

Sensus ponderis est in perinæo, febris, nausea, respiratio est difficilis, et spiritus urinam quodammodo olet. Adsunt quoque alvi tarditas, tenesmus, singultus, vomitus; dolor et tensio abdominis; stupor et delirium, etc.

Si hæc signa manent, et non cito relevantur, sequelæ sunt miserrimæ, nam vesica, tandem adeo distenditur ut paralytica facta, vix aut ne vix quidem ad justam contractionem iterum excitari possit; et quod pessimum est, inflammatur, gangrænâ corrumpitur in quadem parte, et acris urina effunditur.

Morbus sic semper non desinit, exempla frequenter vidimus, ubi signa minus violenta sunt, et ægri fere perfecte convalescunt.

In exemplis qui fataliter desiniverint, cadaverum sectiones, duritiem et vitia similia corporis, vel cervicis vesicæ monstrârunt.

DIAGNOSIS.

Dignoscere hanc speciem Ischuriæ plerumque non est difficile.

Ab Ischuria Renali et Ureterica distinguitur, dolore in iis regionem renum et ureterum sequente.

Quum hic morbus adesse potest, cum urinæ fluxus non omnino a vesica supprimitur, magna cautio, quo errores evitemus, requiritur.

Nixus vehementes ad urinam reddendam, sæpe intervallis, excitantur, et inter hos nixus, quantitates urinæ parvæ expelluntur, rebus ita se habentibus, morbus pro stranguria perperam haberi potest.

Aliis temporibus, retentio urinæ morbida adsit, quum æger possit urinam rivo reddere, et quantitatem æqualem ei quæ homine sano fluere solebat.

In tali exemplo Dominus Hey cognoverat dolorem hypogastrii et tensionem vesicæ manere, donec æger, fistula idonæa injecta, relevatus sit.

Et etiam aliquando accidit, cum vesica maximam distensionem toleraverat, urinam urethra effluere, quam primum in vesicam ureteribus effertur.

Dominus HEY hoc, vera natura morbi ignorata, productum frequenter cognoverat. Interdum diagnosis inter hunc et ascitem difficilis est.

Dominus HOME* de exemplo commemorat, quem ascitem credebat, sed cadavere secto, distentionem esse vesicæ ostendit. RUYSCH† et MORGAGNI‡ exempla scriptis mandârunt, ubi simili modo decepti erant.

Sed Ischuria ab ascite facile distingui potest, quoniam in priore, tumor est figuræ rotundæ definitæ, et paulo supra pubem situs, et ea pars unica fluctuat, et denique, quod urina sæpe pallida est, et dolor inter mingendum sentitur.

CAUSÆ.

URINA renibus secreta, ureteribus in vesicam descendit, quam demum distendit, tunc stimu-

* Clinical Experiments.

† Adversar. Anatom.

‡ De Sed. et Caus. Morb.

lat et ad contractionem excitat, quæ in sano vesicæ statu, sua vi insita, plerumque ad urinam expellendam satis est; ab actione musculorum abdominis parvo auxilio accepto.

Apparet, actione vesicæ cessante, vel morbo muscularium fibrarum, vel magna et insolita iis resistantia, ut debilitate, vel paralysi, vel diversis tunicarum morbis.

Sed expulsio urinæ impediri potest, substantia aliqua intra vesicam posita, vel propter plurimum pus, aut sanguinem, mucumve crassiorem, vel calculum collum vesicæ obstruentia, dum vires quibus urina expellitur, ab ulla morbida affectione penitus liberæ sunt.

Ischuria etiam partibus vicinitate vesicæ vitiatis exoriri potest; qua expulsio urinæ vel mechanicé prohibetur, vel vesica læditur, vel ejus functiones consensu perturbantur.

Causæ Ischuriæ excitantes itaque positæ sunt,

1mo, In substantia vesicæ ipsius.

2do, In ejus cavitate.

3tio, In partibus ei vicinis.

Cum Ischuria morbo vesicæ ipsius enascitur, vel tota musculosa ejus structura, vel ea pars quæ sphincter vocatur, resolvitur.

Interdum morbus totius vesicæ substantiæ, vel cujusdam partis membranarum ejus, hoc organum, ineptum ad suas contractiones fungendas, reddit.

Ischuria, muscularii fibris tunc affectis, Paralysi, Spasmo, vel Torpore, oriri potest.

Paralysis fibrarum muscularium, affectio est multo frequentior, quam vel Spasmus vel Torpor, et longe difficilius removeatur.

Pleræque causarum communium, paralysin aliarum partium corporis inducentes, hanc affectionem gignant. Injuriæ lumbis illatæ, tumores nervos ejus partis prementes, spinalis chordæ commotio, violenta ejus distentio, luxationes, vel vertebrarum fracturæ, contortio spinæ violenta, compressio ejus per sanguinem effusum, pus vel serum in canali vertebrali. Frigus organis urinariis diu applicatum, præsertim diu frigida aqua manens.

Vesica tanquam partes vicinæ integræ sint,

contractricem suam potestatem frequenter perdit, et denique nimia distentione, urina in ea diu retenta, producta, paralysis supervenit.

"Accidit interdum hanc suppressionis causam esse, quemadmodum sanis quibusdam, vel urgentibus negotiis, vel in concionibus, vel in senatu, vel in foro, vel convivio, retenta longiore tempore urina, extensum supra modum vesica, urinam supprimi, contractrici facultate læsa, propter immodicam tensionem*."

In hoc casu, vesica, sine ulla mingendi cupidine, intumescit; vesica etiam talem distentionem tolerante, ut interdum inde dirumpatur. Æger plerumque dolore liber est, saltem eo intolerabili dolore qui spasmodicas vesicæ affectiones comitatur.

Quum urinæ retentio affectionibus spinalis chordæ efficitur, torpor et inferiorum extremitatum debilitas, fere semper accedunt.

Ægri parum patiuntur, multi suum statum

---

* Galen de Loc. Affect.

nesciunt, et non de perturbatione ulla functionum urinæ organorum queruntur.

Chirurgus hunc casum in his morborum generibus esse communem sciens, an fluxus urinæ interrumpatur, explorare debet, et se certiorem facere, vel regionem pubis sentiendo, vel cathetere introducto, an urina ibi retineatur et accumulatur.

Spasmus fibrarum muscularium.

Si hic ullo tempore accidit, verisimillimum est, sphincterem precipue laborare ; quod si non esset, urina in vesica non retineretur.

Prompte apparebit, ullo causas affectuum spasmodicorum cogitante, et, quam obnoxius sphincter vesicæ sit iis, considerante ; adeo ut urina retinere possit, et sæpe retinetur hac causa sola.

Ut plerumque probatur, partes spasmo sympathia sola affici possunt ; sphincterem vesicæ hunc statum inductum habuisse, cum quædam potentiæ, quales spasmos aliorum organorum inducunt, agunt, esse verisimile puto.

Quidam proprie ad hunc morbum proclives sunt.

"Ad difficultatem urinæ quidam nati, atque "apti videntur eique subjecti fuerunt ab usque "pueritia, ubi nullus fuit locus suspicandi aut "calculum aut malum venereum subesse*."

Generalis vel partialis corporis plenitudo etiam ab auctoribus spasmum inducere habetur; inde menstrua suppressa, vel aliæ exinanitiones solitæ, ut hæmmorrhois, quo vasa cervicis vesicæ vicina, sanguine plus solito, distenta fiunt, causæ occasionales enumerantur.

Vesica tanquam omni morbo libera, ad contractionem, ulla causa violenta et excitante applicata, excitari potest.

Sic cantharides interne sumptæ, vel e vesicatoriis absorptæ, urinam acriorem solito reddentes, non infrequenter Ischuriæ causa est.

Morgagni, subitam urinæ retentionem subita morborum cutis repulsione, accidisse memorat.

Quum violentus est spasmus, constrictio fere insuperabilis est, et durities perinæo examinato

---

* Comment. Heberden.

percipitur, quæ digiti pressuram ei applicatam resistit.

Dolor acutus, ei calculo vesicæ illato similis, cum cupidine mingendi perpetua, semper ad vesicæ cervicem sentitur. Tumor gradatim pubem occupat, qui tactûs impatiens est.

Hæc signa plerumque tenesmo molesto, sine ulla dejectione comitantur.

Cum Torpor corporis totius accidit, varia organa suis muneribus fungendo magis magisque inhabilia fiunt, et inde vesica afficietur.

Cum hæc evenit, ejus sensibilitas interdum tanto imminuitur, ut neque urinæ distentio nec irritatio excitare eam ad contractionem possit, donec, tam distenta, ægro perniciem minitatur. Hic morbus senibus communis est, quibus sensibilitas et irritabilitas plerumque multum imminuuntur.

Desault ait*, "Les vieillards sont si sujets "a la retention d'urine, qu'on a classe cette ma-"ladie parmis les incommodités attachées a leur "age."

* Journal de Chirurgie.

Omnes senes huic morbi non equaliter obnoxii sunt; eos temperamenti phlegmatici particulariter invadit. Pleni, ignavi, literarum studiosi, qui, incuria, negligentia, vel alia ejusmodi causa, non sibi tempus dabunt, etiam guttam urinæ ultimam expellere, ei valde obnoxii sunt.

Hæc conditio torpida etiam typho, mania, et melancholia oriri potest.

Interdum etiam venenis ingestis provenit.

"Postremo a stupore generali cerebro male se "habente, veluti in febribus quibusdam, urina "reprimitur in vesica sicubi æger neque solitum "stimulum, ne quidem multo graviorem percipere potest, neque fibræ ipsius vesicæ in contractionem cientur; quo fit ut hæc tandem "adeo distendatur, ut paralytica facta, vix aut "ne vix quidem ad justam contractionem iterum excitari possit. Signum in febribus et "sane omnibus morbis semper malum, nonnunquam fere lethale*."

Potentia vesicæ usque musculari fabrica res-

---

* Conspectus Medicinæ Theoreticæ.

tat, urinam expellere satis valeat; sed quoniam tunicæ impotentes sunt se contrahendi, et insolita vi musculorum actioni resistunt, urina non expelli potest.

Morbi vesicæ tunicarum varii sunt. Inter has, unus affectuum gravissimorum quibus vesica patet, inflammatio æstimetur.

Inflammationem, vesicæ cervici soli initio insidere, dictum est. Cadaverum sectiones qui hoc morbo perierunt, quibus previa inflammationis signa omni ex parte manifesta erant, id non esse verum edocent.

Pleni, homines temperamenti sanguinei vel biliosi, huic retentionis generi potissimum obnoxii sunt.

Sæpe ebrietate gignitur, calidorum urinæ moventium abusu, cantharidibus ingestis, vel extrinsecus applicatis.

Præsentia vesicæ inflammationis, dolore acuto ad vesicæ cervicem et in perinæo, cum omnibus acutæ febris indiciis, facile detegatur.

Inter vesicæ tunicarum morbos,

Tumores—Variorum generum iis inhærentes

interdum tali magnitudine, ut totam vesicæ cavitatem impleant, æstimantur.

Causæ Ischuriæ in cavitate vesicæ interdum ponuntur. Exempli gratia—Calculus, pus, sanguis coactus, mucus, vermes, hydatides, etc. cervicem vesicæ obstruentia, Ischuriam gignant.

Calculosi, quamvis plerumque urinæ incontinentia torqueantur, tamen calculus interdum transitum impediens retentionem infert, vel irritando sphincteris contractionem ciet.

Calculus plurimis signis detegitur, plerumque signa stipantia, eum satis notant, et si instrumentum caute introducitur, raro dubitandi locus erit.

Pus plerumque vesica ipsa gignitur.

Signa previa, ut vesicæ inflammatio, et dein magna subitaque cupiditas urinæ mingendæ, quæ viscida et parca est, et cum quiescat multum fœtidum pus demittit, dolor perinæi vel pubis pressu auctus, vel cum corpus erectum est, plerumque retentionem hac causa esse monstrant.

Si injuria qualis vasa sanguinea diruperit, vesicæ illata esset, et urina sanguinea sequitur, si,

examine facto, quicquid instrumento renitens apud vesicæ cervicem deprehendatur, et si extremitas instrumenti sanguine tingitur, suppressionem, sanguine coacto, exoriri adjudicetur.

Membrana vesicæ interna perpetuo muco lubricatur, qui eam ab urinæ acrimonia tueatur; hic interdum tanta abundantia fluit, et tam viscidus est, ut vesicæ cervici hæreat, et impedimentum creet.

Cum retentio hac causa oritur, urina prius ægre reddita, dein sedimentum crassum quodammodo albumini ovi simile, demittente, quod imo vasi adhærescit, dignoscatur.

Vermes retentionem urinæ facessere etiam dicti sunt. Hos vesicæ subesse plures auctores summæ fidei testantur.

Quidam auctores inter quos Ruysch est, se vidisse eos alites, et avolare, simul ac urina absolverentur, dicunt.

Hæc retentionis species cognoscitur, si æger ullos vermes per urethram antea ejecerit, si aliquoties eandem urinæ reddendæ difficultatem

senserat, et si hic casus statim posthac, insecta expulsa, abierat.

Causæ Ischuriæ partibus vesicæ vicinis, etiam ponantur.

Sic menstrua retenta, ob hymen integrum, tumorem faciens, qui cervicæ cervicem premit; viscerum vicino pressura, uti stercus durum recto infixum, ejus distensio flatu, tumores hæmorrhoidales, glans prostata inflammata, vel schirrosa, uterus sanguine, aqua vel humoris genere distentus, uterus gravidus, Ischuriam inferre queunt.

PROGNOSIS.

Prognosin morbi causis tot et tam diversis orti, incertissimam esse oportet.

Quoniam urina e corpore particulas quæ vel noxiæ vel superfluæ fiunt, evehere destinetur, suppressionem ejus exitus periculosos habere constat.

Morbus cum diu manserit plerumque lethalis

est. Sed multa sunt exempla, ubi urina diu minimis quantitatibus reddita est, vel omnino suppressa, et æger demum convaluerit; urina pro tempore absorpta, in sanguinem delata, quo, perspiratione aucta, remota est.

Interdum totum corpus urinariâ exinanitione imbuitur, et anasarca fatalis inducitur, nisi sudores copiosi urinæ odore similes e cute fluunt.

Aqua interdum in varia effunditur cava, signa, iis hydropicis collectionibus in istis partibus enatis, non dissimilia, sed multo graviora inducens. Cum in ventriculo deponitur, vomitum humoris urinam olentis gignit. In intestina effusa dejectionem facessit.

Quacunque causa hic morbus originem derivet, semper prognosin cautam dare oportebit.

Prognosis secundum causam variabit.

In istis casibus ubi signa acuta sunt, morbus periculosior est quam vel paralysis vel spasmus. In priore semper gangrenæ periculum est, quæ cito mortem affert.

Quum vesicæ paralysi oritur, prognosin non

celeriter periculosam præbet, sed sanatio plerumque molesta et difficilis est.

Quum spasmo oritur, si causa bene confirmata, tam difficilis curatu non est.

Cum vertebrarum affectione, causa nisi sublata, raro sanamus.

Quum morbus obstructionibus vesicæ cervicis, calculis exceptis, oritur, frequenter cito sanari poterit.

Suppressio ex nimia distentione prognosin malam dat, quia nisi cito remota, inflammatione et gangræna, quibus ægro fatum misero cito adsciscitur, paulo post sequitur. Ischuria ex pure plerumque periculosissima est, quoniam superficie vesicæ vel renum interna provenit, et vix aut ne vix quidem curari possit.

RATIO MEDENDI.

Hoc in morbo tot causis inducto, et tam variis signis comitato, Ratio Medendi, secundum causam quæ originem morbo dederat, variabit.

Exemplis pluribus, si urinæ diu perstiterit retentio, catheterem introducere, et urinam educere prudens erit, et continenter quotidie eam introducere, prout opus sit.

Catheter interdum in vesicam non introduci potest, vel ob vesicæ spasmum cervicis, vel ulla causa alia. Quoniam exemplo tali, æger sine dubio, si suppressio non levata maneat, peribit: chirurgus vesicam ferramento idoneo et fistula pungere debet, quò urina abstrahatur. Interea unde Ischuria provenerit, maximi interest perscrutari.

Si vesicæ paralysi pendeat, consilia sunt,

1mo, Urinam elicere; et,

2do, Vesicæ tensionem restituere.

Quum retentio tantum inceperat, et vesica adhuc indolens tantum est, sæpissime ad actionem vesica resuscitandum satis erit, frigus regioni hypogastricæ adhibere, vel facere ægrum a calido ad frigidum locum ad mingendum ire. Æger simulatque mingendi desiderium subesset, ei parere debet, ne hoc neglecto retentio crescat. Si stimulus nullus urinæ excitandæ potens

est, catheterem introducere oportebit. Si chirurgus semper in propinquo adest, vel si æger ipse introducere potest, melius est tantum cum necessarium est introducere, et, postquam vesica perfecte depletur, subducere. Sed si nobis nullæ harum opportunitatum sint, catheter in vesica reliquendus est, catheter ex elastico gummi factus melior est. Catheteris tamen sic relicti obturamento claudendum est, et obturamentum, cum opus sit, subducendum; nam vesica moderate distenta, citius quam prorsus vacua, vires suas recuperat.

Ad tonum vesicæ reducendum, injectio solutionis sulphatis ferri dilutæ, cinchonæ decocti, vel aliorum medicaminum astringentium proderit.

Diuretica calida etiam, balsamica, balneum frigidum, cantharidum tinctura frictio, etc.

" Quant a nous (ait Desault *) nous ne re-
" commandons que l'usage de la sonde dans
" ces sortes de retention d'urine, ce secours lors-

* Journal de Chirurgie.

" qu'il est bien dirigé suffit souvent pour rendre " a la vessie son ressort. Et quand il à été in- " suffisant, nous n'avons pas obtenir plus de suc- " cès des autres moyens."

Si morbi causa spasmus sit, ea auxilia utenda sunt, quæ spasmo ulli resolvendo accommodantur, veluti, tinctura muriatis ferri, (bonos cujus effectus scriptores diversi testantur.) Balneum calidum, lavatio tepida pubis, emollientia, etiam liquores ejusdem naturæ in vaginam et rectum injecti, opium et alia antispasmodica ingesta, cum fructu adhibentur.

Quum spasmus plethora vel generali vel partiali pendeat, quædam exinanitiones utiles fore videntur.

Postquam spasmus removetur, arbutus uva ursi et cinchona juvabunt ad ejus reditum præcavendum.

Si morbus torpore nascatur, cantharidum et stimulorum aliorum usus internus, ad vim vesicæ insitam augendam administrentur.

Si vesicæ inflammatio morbi causa sit, catheter summa cura injici debet, et urina subducen-

da, quoniam urinæ præsentia irritationis causa est.

Vesica depleta, liquor mucilaginosus in vesicam leniter injiciendus, veluti lini vel altheæ decoctum ; hoc ad tempus in vesica retinendum est, et partem ejus tantum redire sinere oportet, reliqua retenta, quò vesica ab urina acri defendatur.

Victus antiphlogisticus omni ex parte esse debet. Sanguis sæpius mittendus, hirudines perinæo applicandæ, balnea, alvi ductio et purgatio per sales medios, si tarda sit, adhibenda sunt. Fomenta emollientia imo abdominis admovenda sunt. Potiones diureticæ frigidæ, emulsio lini, serum lactis, syrupus violarum, et jusculum pullinum, idonea sunt.

Si morbus calculo vesicæ pendet, hoc ferramentis exsecto unice morbus fugatur; sed si calculus ab cervice vesicæ dimoveatur, et in vesicæ sacculo depositus sit, levabitur.

Cum morbus pure gignitur, ulcus in vesica vel renibus plerumque est, ideoque fere desperandum.

Omnes liquores mucilaginosi, ad partes abrasas ab urinæ acrimonia tuendas, proderunt. Doctor Home aquam calcis quantitate libræ unius in die adhibebat, propter qualitates aperientes precipue; sed etiam exulcerationem harum partium, si subesset, inde sanatam esse, putavit.

Cum morbus sanguine coacto vel muco inspissato pendet, si magnus catheter in vesicam introductus non ea extrahiat, quidam auctores syringem exteriori catheteris fini alligari jubent, ut exugatur aliena materia.

Cum vermes retentionem gignunt, solum consilium est, vesicam iis ope catheteris liberare, vel liquore injecto eluere.

Cum ad eos necandos anthelmintica adhibentur, si cum mortui sint non expelluntur, nucleos calculis prebeant.

Si morbus abrasione muci interiorem vesicæ superficiem lubricante pendet, emollientia, veluti decoctum lini injicere oportet.

Si tunicis crassioribus enascitur, commodum ex usu hydrargyri, electricitatis, discutientium

cataplasmatum, et eorum quæ vasa absorbentia stimulant et vesicæ actionem augent, obtinetur.

Morbo remoto, equitatio, vel in curriculo gestatio, summum fructum pollicentur vesicæ tonum confirmando, et valetudinem reficiendo.

FINIS.